

intueatur; nihil illi magis animo infixum hæsisse, in nulla alia re vehementius, quam ut Italiae pacem quietemque tueretur, elaborasse existimabit; ad eam firmandam nihil, quod in se esset, quin cumulate præstiterit, prætermisisse. Ob id liberaliter conditos Ecclesie thesauros viresque, ut in Pannonia Cæsari cum Amuratbe ac Mehemete dimicanti opem ferret, effudit; ob id omnium inter Italos Principes dissidiorum semina evellere studuit; sæpiusque exorientium bellorum initia restinxit. Hæc sane cuinam magis quam vobis nota explorataque sunt; qui iisdem consiliis, nunquam discrepantibus sententiis, in id una cum Clemente incubuistis? Qui omnium illius actionum, cogitationum, & consiliorum participes fuistis? Inde eo majori molestia, & incredibili prope dolore perfunditur, Cæsarem Estensem barbarum intestinarumque dissensionum ac bellorum caput atque auctorem esse velle: omnia movere; cunctos Principes ad arma impellere, ut, publica turbata pace, qua firmis fixa radicibus per tot annos Italia floruit, hac omnium gentium fœda colluvies confluat, cunctaque Divina & humana permisceantur. Quidnam hoc rerum statu Clemens octavus faciat? an Ecclesie rationes, quæ illius curæ a Deo Optimo Maximo concredite sunt, non tueatur? an in amplissima illa constitutus sede, suarum partium sui que muneris obliviscatur? an demum Ferrarie ducatum, qui jure sibi debetur, pessimo atque exitiali in posterum exemplo, negligat? Illud certe natura comparatum est, ut omnes se suaque protegant. Quid igitur? si alia hujuscemodi se obtulerit occasio, Ecclesie decus, existimatio, juraque obterenda ac delenda erunt? scilicet ut hostibus ludibrio & contemptui sit? ac Pontifex, qui nunc rerum potitur, sui memoriam nominis horridam atque infamam posteris relinquat? Neque dissimulatione uti, neque jus æquumque deferere Clemens debet. Nullius opem implorat; nullius auxilia exposcit; nihil a Republica ipsa postulat, quamvis ab insita illius religione, majorumque in sanctissimam Sedem pietate atque obsequio, nihil non eorum, quæ ab amplitudine atque opibus Venetorum proficisci possit, sibi polliceatur. Id tantum flagitat, id unum per me rogat, ne illi impedimento sitis; ne Cæsari faveatis: extra omnem aleam sepositi, inter ipsum atque Estensem rem agi permittatis. Sum-